



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Nicetii Trevirorum, 31. Episopi: Ex ea quam Gregorius Turonensis conscripsit. Lib. de vita Ptrum cap. 17. & de gloria Confessorum cap. 94. ex certa relatione Aredij Abbatis vrbis Lemouicinæ, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

ego, inquit, dijs non modo non sacrificabo, sed quacunq; via modoq; possum, omnes ad eandem Christi Iesu salutarem cōfessionem inuitabo.

Propter hęc ira percitus Iudex, iussit nudatum martyris corpus ferreis dilacerari vngulis, aduriq; lampadibus: ac tandem in Christi confessione constanter permanentem lapidibus obrui. Ea mortis prolata sententia, discipulus Christi lætabūdus ad certaminis locum extrā ciuitatē perrexit: protensiq; in cælum manibus, tanquam alter Stephanus, Deo, lapidibus obrutus, spiritum tradidit: cuius corpus in paterno solo Damascenorum regione splēdidē conditum iacet.

Dirè cruciatur.

Obruitur lapidibus.

VITA S. NICETII TREVIRORVM,

31. Episcopi: Ex ea quam Gregorius Turonensis conscripsit. Lib. de vita Patrum cap. 17. & de gloria Confessorum cap. 94. ex certa relatione Aredij Abbatis vr̄bis Lemouicina, ab ipso Nicetio enutriti & clericatus ordinem sortiti: nec non miraculis clari. Quo tempore vixerit, patet infrā.

*Vide Tom. 7
Annal. C.
Baron. &
Not. in Mar-
tyr. Roman.
5 Decemb.*

NICETIVS Episcopus ab ipso ortus 1. Octob. sui tempore diuinis quibusdam signis in sortem Domini electus fuisse videtur. Nam cū partu effusus, aliorum instar infantium capillis nudus in lucem prodiret, in circuitu tamen capitis tenuis pilorum ordo aprē distinctus apparuit; haud secūs ac sacerdotali corona ex arte ornatus fuisset. Exindē à stu-

*Ado vero
& alij non
nulli 5. De-
cemb.
Enrem mī-
ram in nato
S. Nicetio.*

Fit Abbas.

*Ordinatur
Episcopus
Treuirorū.*

*Non respicit
personam ho-
minis.*

à studiosissimis nutritus parentibus, literisque imbutus, Abbati cuidam sanctioribus informandus disciplinis commendatur quo in loco breui tam insigni morum apud omnes candore enituit, vt migrante Abbate, ipse vnus omnium qui succederet dignissimus haberetur. Iam verò assumpto Abbatis officio, tantum se ac talem exhibuit, vt omnium moribus ad seueriorem disciplinam prudenter ac modeste reuocatis, ipsum etiam Theodoricum regem à multis vicijs criminibusque abstraheret: cui ea propter inprimis adeò charus erat, vt decedente Treuericæ vrbis Sacerdote, ab eodem ad pontificiam dignitatem administrandam euocaretur. Veruntamen cum à Regis legatis honorificè esset adducendus, & illi, occidente sole, fixis haud procul ab Vrbe tentorijs, laxatos per segetes pauperum dimitterent equos, vir sanctus misericordia ergà pauperes motus, ipsis legatis fulmen excommunicationis, ni protinus equos reuocarent, interminatus est. At illi hominis magnanimitatē vehementer admirantes, indignantesque: Et tu, inquit, Episcopalem cum nondum adeptus sis apicem; itane intrepidè cælestes nobis iras minaris? Cui vir sanctus magna sanè constantia respondens ait: Scio quidem Regem me huic oneri destinasse; & fiet quidem voluntas Dei: sed nullius voluntas in malis actibus, me obsistente, adimplebitur.

In cathedram igitur pontificiam collocatus, quanta animi constantia, quantaque seueritate iustitiam sanxerit, sanctamque inuiolatam seruari voluerit, exemplo patebit. Cum defuncto

Theo-

Theodorico rege, filius eius Theodobertus in regni gubernacula successisset, & is libertatis amans, sapius à viro sancto iniquitatis argueretur, accidit vt die quodam Dominico, multis à pontifice anathemate ictis stipatus, ecclesiam ingrederetur. Quibus visis antistes Niceus, oblati iam muneribus, Missarum solennia cessare iussit: donec omnes illi communione priuati ecclesia excederent. At Rege renitente pontificisque mandatum spernente, ecce subito vnus de plebe, arreptus à dæmone puer iuuenis, valida, inter torturæ suæ supplicia, voce exclamans, sancti viri virtutes, Regisq; crimina confiteri; & eum quidem sanctum, sacerdotio impollutum, Christi spiritu humilem, dicere: illum verò adulterum, gloria regni superbum, ideoque ab auctore sceleris velociter elidendum pronuciare.

Nota rem admirandam.

Cumque Rex timore concussus energumini- num ab ecclesia eijci præciperet, contra episcopus constanter asseruit, vt ipse omnes illos sententia sua damnatos prius exire mandaret, si vellet os hominis obstructum iri. Quibus expulsis, dæmoniacus foras pariter extrahi iussus, nulla vi à columna, quam mordicus apprehenderat, auelli potuit: donec Christi Sacerdos, expressa in eum Crucis figura, integra eum sanitate donaret: qua donatus nunquam deinde post acta solennia reperiri potuit. Creditum est, eum à Domino missum, vt Regis conuersationem, ad sui emendationem: & Sacerdotis opera ad multorum profectû, reuelaret. Nam & ipse Rex, orante pro eo antistite, melioris deinde vitæ de se frugem præbui, & Nicetius

Signo Crucis sanat dæmoniacum.

cetius maiore auctoritate animarum salutem promouit.

Non poterat eius constantia vllis Regum minis vel mortis timore infringi: quinimò martyrij vehementer cupidus, vltro sese percussoribus obtulit; & exerto gladio ceruicem præbuit: Cùm Clotarius rex pro iniustis operibus ab ecclesiæ communionem ab eo sæpius segregatus esset, multauit eum exilio, ratus eo terrore viri iusti cōstantiam fractam iri. Cùmque ab omnibus derelictus, vnicum tantū diaconum sequentem se cerneret: Quid tu, inquit, agis? Quin sequeris fratres tuos, vt tibi, sicut & illi, ad libitum consulas? Cui Diaconus: Viuit, inquit, Dominus Deus meus, non te deseram, quamdiu spiritus hos regit artus. Tum antistes: Quia hæc dixisti, dicam & ego tibi, quæ Domino reuelante cognoui. Cras hac hora Ecclesiæ meæ cum honore restituar, desertoresque magno cum pudore ad me confugient. Præstolante eam promissionem attonita cogitatione diacono, eccè crastina illucescente subito Regis

Clotarium rex ab eo excommunicatus.

Fidelitas cuiusdā eius Diaconi. Prophetia eius.

a Obijt anno Domini 565.

Benignitas eius.

Felicitas obijt.

Sigeberti aduenit legatus, a Clotariū nuncians mortuum, Sigebertumque legitimum regni successore, cum episcopi charitate ac benedictione gubernacula suscipere velle. His auditis, cuncti qui ab eo descuerant, pudore suffusi, se illi supplices exhibuere: quos ille nequaquam auersatus, magna benevolentia significatione, recepit. His alijsque cum virtutibus tum miraculis præclare vir sanctus in vita adornatus, postremo ab ipso Apostolo Paulo & Ioanne Baptista secundū quietem ad regna cælestia est inuitatus. Qua visione de transitu suo certior factus

factus, paucis post dieb⁹, in febrim incidit; qua aliquamdiu exercitus, tandē beatum Deo spiritū tradidit; corpus verò in basilica Maximini antistitis, suis curandū reliquit; inclytis admōdū glorificatū signis: vincti siquidē soluti; obfessi liberati: & cęci ad tumulū eius illuminati.

Coruscet miraculis post obitum.

MARTYRIUM S. LEODEGARIII: Episcopi Augustodunensis: Ex eo quod Vrsinus, iubente Ansoaldo Pictaorum Episcopo conscripsit. Coronatus est anno Domini 685. sub Theodorico Francorum Rege.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baron.

BEATVS Leodagarius ex nobilissima Frācorū progenie ortus, in primis ętatis initijs à parentib. in regiā Clotarij adductus ab eo Rege paulò post; Didoni Pictaensis vrbis præsulī literarū studijs imbuendus est traditus. Is autē Præsul eum cuidā sacerdoti, egregia morū honestate & eruditionis laude præstari, erudiendū tradidit; qui eum multis annis magna cura docuit, probeq; institutum episcopo deindē reddidit. Receptum autē Episcopus suo cubiculo sub disciplinę custodia adhibuit; frequenterq; admonuit, vt, quemadmodum ille, virginitatē ad extremū vitę spiritū illibatam cōseruaret. Habebat in primis in votis episcopus, vt eum post se muneri episcopali admoueret; cui sanē cū aptū & idoneū cerneret, annos ferē natum 20. Diaconum ordinauit. Deindē non multo post tempore Archidiaconus effectus, omnibus eius diocesis ecclesijs ab eodem pontifice præfectus atque prælatus est. Erat enim multis magnisque & animę & corporis dotibus ornatus, & rara quadam facun-

2. Octob. Patria & Siēna eius.

Traditur Didoni Episcopo instituendus.

Sacris in-tia:ur.

C 2 dia